

**Oratio ex Harveii Instituto in aedibus Collegii Regalis Medicorum  
Londinensis : habita die Julii Xmo MDCCCLVIII / auctore Georgio E. Wilmot  
Wood.**

**Contributors**

Wood, George Edward Wilmot.  
Wood, George Edward Wilmot  
Wilks, Samuel, Sir, 1824-1911  
Royal College of Physicians of London

**Publication/Creation**

Richmond : J.G. Hiscoke, 1858.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/abg7r622>

**Provider**

Royal College of Physicians

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by Royal College of Physicians, London. The original may be consulted at Royal College of Physicians, London. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

4

ORATIO  
EX HARVEII INSTITUTO  
IN ÆDIBUS  
COLLEGII REGALIS MEDICORUM  
LONDINENSIS

HABITA

DIE JULII X<sup>MO</sup> MDCCCLVIII.

AUCTORE GEORGIO E. WILMOT WOOD, M.D.

CANTAB. ET COLL. REG. MED. LOND. SOCIO.



RICHMOND:  
APUD J. G. HISCOKE,  
MDCCCLVIII.

GRATIA

EX HARVARD INSTITUTO

1888

COLLEGIUM REGIALE MEDICORUM

AMSTERDAMI

AD HOC OPERA

AUCTORE GEORGIO E. WILMOT WOOD M.D.



WILMOT WOOD

COLLEGII MEDICORUM REGALIS  
LONDINENSIS

PRÆSIDI SOCIISQUE DIGNISSIMIS


HANC ORATIUNCULAM

SUMMA, QUA PAR EST,

OBSERVANTIA

D. D. D.

GEORGIUS E. WILMOT WOOD.



Digitized by the Internet Archive  
in 2015

<https://archive.org/details/b24976507>



## ORATIO HARVEIANA.

---

OFFICIO solenni, minimeque ingrato, tam Medicorum illustrium aliorum, quam *Harveii* nostri nobilis et dilectissimi, in honorem et memoriam functurus, ex instituto proprio et consuetudine Collegii hujusce jam antiqua et laudabili, benevolentia et comitate vestra fretus, Viri ornatissimi, Præses, Socii, Hospitesque faventes, gratiam obtestor; et mihi pauca loquenti, titubante lingua et inexercitata, indulgentiam quam maximam conciliare cupio.

Novi enim Te, Præses doctissime, Virosque spectatissimos circumsedentes tam literis humanioribus, quam studiis ad artem medicam attinentibus omnigenis imbutos; quantoque vobis gratius esset aures recte digneque dicenti attentas adhibere, tanto magis ne levissimus quidem linguæ labantis meæ, vel sermonis deficientis, lateret error.

Ne idcirco me in molestiis habeatis, precor. Credo equidem vos et mirari quæsiturosque esse, Cur ego potissimum hoc munus susceperim, qui neque ingenio, neque auctoritate, cum iis qui adsunt comparandus sim? Fateorque, et vereor, me plus oneris subiisse, quam ferre me posse intelligo.

Profecto alterum est, scriptores et oratores antiquos perlegere, aut perlectos audientem, in deliciis habere, alterum, sermones et orationes lectissimas scribendo imitari; et verbis, inde derivatis, alienigenam oratiunculam effingere et exprimere.

Ac scio vos quidem, Auditores, qui difficultatem ipsi experti sitis, diffidentiam meam agnoscere; quapropter facilem petenti dare veniam non recusabitis.—Lingua natali uso satis difficile foret hoc cœptum. “Elegantias Latinas” ignoro, et proferre nequeo.

Ac mihi quidem ipsi causa ridendi subesse solita est cogitanti, quod iudicium, Oratorum et Poetarum in cœtu veterum et disertorum, quisque lingua sua perquam limatus et emunctus, de hac mea loquela ferret. Scilicet “ex quovis ligno non fit Mercurius!” Humanitas autem, et voluntas vestra, sylvestri tenuique sermoni meo certe adstabit et favebit.

Festo die hodierno, de Fundatoribus at Fautoribus nostris eximiis, de Caio, de Goulstono, de Lumleio, plerisque aliis, et præcipue de *Harveio* ipso mihi utcumque dicendum est.

Attamen id, quod opus non minus arduum efficit, pro certo scio; scilicet non hodie primum de his laudatis viris coram vobis allocutionem fieri. Immo vero per annos pæne ducentos a collegio nostro, lectis oratoribus, celebrati fuerunt iidem! Itaque ne vobis molestiæ et tædio sit, neve patientia ac benevolentia vestra abuti velim, si multarum rerum iteratio a me fiat, quam tamen spero fore ut potius amoris erga *Harveium* nostrum integrationem habeatis!

Graviter et ornate dicere de eodem, et ad voluntatem loqui posse, quam cuperem!

In memoriam—qualis quantique Viri!

Quibus verbis utar? Ubi nova quæram, aut idonea? Num ea vobis videntur immodica, aut adulatoris in morem, quæ, apud



oratores vestros doctos, liberales, et integros, sæpius antehac usitata reperio? Num assentatores nosmetipsi, qui ea repetimus, videmur?

Heroi dilecto quænam infuit “fides,” “constantia,” “sollertia!” “Inter tumultus mens immota!” Regi illi infelici, cui favere placuit, obsequium justum, ac viro honesto prorsus dignum! “indoles optima;” “ingenium insigne!” “Qui labor, quæ perseverantia in studiis!” “Quæ vitæ innocentia et integritas!” “Quam benevolus ille exstitit!”—Quid plura? Ac sibi ipsi quidem hodie hæ laudes nihil prosunt; et omissa mea, vobis meditantibus, explere facilius est, quam ut virtutes singulas dinumerare coner.

Sinite me ergo, O Socii, multa prætermittere. Tali tantoque viro, toties ex his rostris commemorato, quæ inveniri potest par oratio? Forsitan in mentes vestras veniant ea, quæ de magno duce disertissimus orator olim—“Quid est quod quisquam aut dignum illo, aut vobis novum, aut cuiquam inauditum, possit efferre?” Mihi sane videtur, plurimas virtutes tanquam duci, etiam Medico summo, qui simul se doctum, et ad alios docendos et instituendos aptum, præbere velit, inesse oportere. “Ac primum quidem, quanta innocentia debent esse” Medici! “Quanta, deinde, omnibus in rebus temperantia!” “Quanta fide! Quanta facilitate!” “Quanto ingenio! Quanta humanitate!” Quæ virtutes quantæque in *Harveio* nostro fuerint, bene recordamini, et sæpius testati estis!

Age vero! cæteris in rebus qualis fuerit indoles, et vitæ ratio, qui animus in rerum Medicarum indagatione, breviter considerate.

*Ante Harveium*, quales fuerunt artes, et doctrinæ “Physiologicæ,” et Medicæ! Quibusque modis, Vir ille primus viam veram indicavit, scientiamque novam adhibuit,—hæc omnia vobis sunt notissima! *Ante Harveium* quæ fabulæ, quæ obscura,



quæ arcana, auctoritate philosophorum errantium, pro certis accepta erant!

Attamen nulline, quæso, ante eundem vixere Medici edocti, et laudabiles? Quis audax qui neget? Vatum sacrorum, Pythagoræ scilicet, Hippocratis aut Aretæi, Celsi aut Galeni laudes meritissimas minuere cuperem? Vesalio vel Serveto, religionis causa, (proh nefas!) iniquissime necato! Columbo, Sylvio, vel Fabricio, qui sanguinis adhuc ignotum cursum diligenter investigabant, detrectare aliquid, aut palmam optime meritam fronte deripere? Hoc minime vellem! Haud ita cæteris fratribus Medicis detrahendo aliquid, sese attolli vult *Harveius!* Neque criminis tanti particeps sponte habebor.

Jam vero ad rem gravissimam attendamus, qua, ut inter omnes constat, celeberrimus ille famam æternam sibi paravit; scilicet cordis motu, cursuque sanguinis patefaciendo.

Nonne mirum est, imminente rerum antea ignotarum patefactione, dum plurimi, ingenio et scientia haudquaquam impares, pari studio ac diligentia res novas investigant, easdem tamen omnino latere, donec unus tandem, inter egregios maxime egregius, subito et quasi feliciter, Diis auspiciis, elaboraverit et exprompserit?

Pari modo, antequam sanguinis vere patefactus esset circuitus, num *Harveii*, qui unus invenit, fama vel minime minuitur, quod alii eandem rem in manibus simul haberent atque etiam aliquantum spatii in eadem via progressi essent? Sagax vero ille scintillas præmonentes, verum adhuc dubias, in unum collegit, tenebras priores dispulit, facesque et lucem scientiæ admirabilem in medium protulit.

Dehinc novistis quam clariorem eandem indies reddidit! "Instar famæ" etenim "vires acquirit eundo" Veritas! Obscuracionibus tamen obnoxia est!

Neque negandum, quin primum, per plures annos, quas meruit palmas, non tulerit *Harveius*. Nimirum torpebant Medici! Obtrectatores oppugnabant. Proh pudor! Odium Medicum, quod, posthabito Theologico, gravissimum est, ingravescebat; quo affecti quidam animum Philosophi illius turbare, fortunasque evertere, improbe conati sunt.

Lente festinavit tamen, et prævaluit Veritas. Quanta inde rerum medicarum orta est reformatio! Et, quamvis de sanguine, incruenta tamen, nec ulli nocens! A motu illo quales animorum motus!

Profecto a sanguine vivo et revolubili, "Physiologiæ" et Medicinæ sanæ principia incrementaque vera solum evoluta sunt! Inventori ergo principique illi dignus adsit honor! "Novus sæclorum" Medicorum abhinc "nascitur ordo:" Virque ille Medicis, arte prorsus empirica antea versatis, experientiæ fidæ sanam rationem et fundamina, quibus maxime nos inniti debemus, suppeditavit.

Si ad scripta ejusdem spectemus, et præcipue ea "de motu cordis et sanguinis," ubinam exemplar "Novi Organi" clarius inveniendum est? Qua diligentia causas, rationesque, et experimenta plurima cautissimus ille accumulavit! Quam acute Sophistarum obsistentium insidias patefecit! Verbis usus nihilo supervacaneis, brevitate commoda, minime tamen obscura, ut solent ii, qui problemata solvunt mathematica, argumentum totum summatim explicavit, "veritatem luculenter illustravit, et plane confirmavit."

Quod cum ita sit, fateor mihi videri *Verulanum* ipsum, quamvis majorem natu, ab *Harveio* nostro, quocum colloqui solebat, edoctum esse; exercitationesque ejusdem meditantem, novam suam philosophandi viam excogitasse et indicavisse!

Sin autem novæ philosophiæ non habendus est inventor, saltem



Apostolum insignem, et inter primos, *Harveium* agnovimus.

Nihilominus admirari liceat quanta, neque immerita, reverentia Aristotelis opinionibus idem adversatur! Quanta comitate Fabricio præceptori se obsistere coactum profitetur! Reformator quam liberalis! Quo tempore enim vana antiqua diruit, eodem nova ædificavit, ipsaque mutatione res novas ita consecravit, ut, religione quadam, ab hoc demonstratas, accipere soliti simus. Quod ad sanguinis motum attinet; ad hoc unum confirmandum, a quantis erroribus majorum animos nostros liberari necesse fuit!

Arbitror equidem, neque hoc "Paradoxi" solum causa leviter aut insolenter profero, et ob has causas, et ob inventa sua ad res artesque Medicas attinentia, a sua usque ad nostram ætatem, non satis momenti aut existimationis apud Medicos, pro suis meritis, habuisse *Harveium*!

Per campum vastum Physiologicum rivo novo longe lateque recluso, nil mirum est quod huc illuc per agros nondum tentatos, pascuaque nova, Medici exploratores exspatiati sint! Nec eos erravisse dicere ausim.

Profecto rerum naturæ conveniebat, eos in canalibus et vasis ipsis (in arteriis scilicet et venis) commorantes hæerere; et Medicinam in "Mathematicis" et quasi "Hydrostaticis" rebus poni, diu cogitare! Contra hæc autem sæpius monuerat *Harveius*. Huic quidem maximæ molis erat ad sanguinis fontem et originem ascendere, et "theoriam" condere; (quamvis simul in re "practica" maxime ob scientiam nuper acquisitam valebat).

Præsagus tamen in scriptis passim monuit, ne qui sanguinis cursum solum per cor, arterias venasque—per "vasa nempe continentia" investigarent; neu velut rustici ad amnem, quantumvis admirabilem, expectantes commorarentur: sanguinis vero naturam rationesque intimas ut exhaurirent, et penitus scrutarentur.

"Quod continet" ut ipse monet, "contenti gratia fabrefactum

est!" Absque culpa subsequentis ævi, huic nostræ ætati proprium esse videtur, *Harveias* de sanguine indicationes vaticiniaque non dubia, viribus et fervore antehac inauditis, sequi et exponere! Hodie ergo revera ad *Harveium* rediimus; et "sanguinem" agnovimus "primordium esse"... "omnium animalium, vasisque ipsis tempore priorem."

"Primum vivens, ultimum moriens," "consciens et actuosus  
"et primogenitus sanguis; fundamentum vitæ; auctor omnium!"

"Prima animi sedes, fons vitæ et focus perennis!"

"Omnium partium principium simul, et opifex, existit."

Vivo et valente sanguine valet corpus, et plerumque anima. Nimirum "mens sana in corpore sano!" Eodem vero aucto, vel diminuto, vel inquinato; his vel illis particulis subtilioribus variatis vel deficientibus, ob cibum, ob aëra, ob circumfusa quælibet, inde oriuntur valetudo, morbi,—serius ocyus, mors! Hæc, inquam, hodie, Socii quidem nostri, plurimique inter nos, quotidie excogitant et diligentissime exponunt! Quorum argumenta et nova et certissima præbent omnibus horis natura, artesque nostræ, "chemia" et "microscopus." Et Collegio huic nostro magnopere gratulari cupiam, testes ex illo tam validos, tam frequentes, de sanguinis veritate, et, ut ita dicam, "dignitate," assurgere!

In partibus singulis et particulis hærebat olim Medicina; "Mathematica," "Spirituosa," "Humoralis," "Solida" dicta.

Deinde ex ventriculo, ex hepate—ex nervis—vel ex alio quolibet viscere, "Pathologica" omnis pendebat. Hodie, et in posterum, *Harveio* auspice, sperare licet, viva sit Medicina, rationalis, "vivificans!"—Namque hodie ad sanguinem, vitæ fontem et originem, feliciter fit reditus, et quo plus de sanguinis vita, sanitate, morbis, natura scilicet, et, ut ita dicam, "mysterio," cogitârit et noverit medicus quisquam, eo prudentior fit, et ad medicas manus doctas adhibendas paratior.



Ac mihi quidem hic liceat memorare, me tum primum motum illum sanguinis actuosum sub microscopo aspexisse, Lycæo illo celebri "Hunteriano," abhinc, eheu! triginta annis; quo tempore, coram alumnis plurimis mirantibus amantibusque, Prælector eximius, rei Anatomicæ studiisque Physiologicis, exemplo *Harveiano*, maxime deditus, Frater scilicet tuus ornatissimus, Præses spectatissime, eundem monstrabat, et sermone facundo, more suo, explicare solebat!

Morbo, et doloribus gravissimis affectus, nos ipsos, et studia nostra, eheu, citius reliquit! Manet autem, nomen et fama; nobis, veluti tui ipsius, semper in honore habitum et habendum! Sed jam eo, unde huc digressi sumus, revertamur.—

Aliis etiam de causis *Harveium* jure admirari liceat—Nam non solum nostræ Angliæ dilectissimæ adstrictus est; non "insulari," quod vocant, "superbia," toto orbe divisus est *Harveius* noster; contra autem, ubicunque terrarum homines ad humanitatem proclives sunt, famam ejusdem, et benefacta, libenter agnoscunt.

Nuper apud Paduam coram me, honoris ejus promeriti partem vindicavit Medicus quidam pro academia sua.

Eheu, Paduam! cæterasque civitates plurimas Italicas! A Venetiis usque ad Bononiam; ab ipsa Roma ad Salernum, literis humanioribus, et Medicarum rerum scientia, antehac polentes, in barathrum quale, amissa libertate, delapsæ sitis!

"Italiam, Italiam," mihi etiam conclamare liceat, O Socii, eheu, clamore parum hilari! Pro Pictoribus, Poetis, Medicis, Philosophis, (Medicæis enim ducibus Florentinis, quondam redvivæ erant artes ingenuæ, et scientiæ florebant omnigenæ, pro his viris eximiis, in terras pulcherrimas iterum irruente Barbaro, quid nos etiam, inter lachrymas, peregrinantes hodie spectemus? Barbaros milites, cives non sine injuriis cohibere jussos! Pon-

tificem anilem pessimæ servituti, religionis nomine, deditum! Sacerdotum agmina per vicos domosque in mentes miserorum, et præcipue muliercularum, irrepentia, ex confesso habetis!

Postremo Regem quendam, tam animi, ut videtur, quam corporis crassitudine delirantem, qui vel discipulos in rebus Medicis ad certum numerum redigere audet! His obstantibus, nihilominus Medici extant illic ingenui et liberales! Testes sint Matteucius, aliique plurimi, qui ad artem nostram tanquam divinam, more patrum, adhuc excolendam prompti paratique sunt!

Et jam de his rebus, deque ipso *Harveio*, vereor ne forsan verbosior et prolixior fastidium vobis afferre videar! Quid autem valet oratio ea qua de heroe siletur? Num ludus sane proferendus est scenicus, omissa tragædiæ principe persona? His vero præpositis, etsi plurima alia simul omiserim, in anni præteriti notanda paulisper patientes, precor, animos adhuc intendatis! Annus quam gravis funestusque! domi militiæque, quam memorabilis! In eodem quantæ perturbationes, qui rumores, qui luctus, qui pudor, qui turbidi animorum motus!

Annus Indicus! Asiaticus! Carbone scilicet notandus! Per insidias mercenariorum, quibus nimium confisi eramus, nostris ipsorum gladiis, non solum milites, verum etiam Medici plurimi—immo infantes, virgines mulieresque innocentes, jugulati sunt! Per strages hominum, per cruciatus horribiles, fædissimasque ignominias, quantopere vexati, quot et quanta nosmetipsi perpessi sumus!

Vix stetit, trepidante libra, concussum in India imperium nostrum! De futuro etiam, quid sit, nescimus! “Caliginosa nocte” premitur! “Infandum” vero “dolorem renovare” abhorret et lingua et mens! Itaque meliora aggrediamur!



Nostrorum, ergo, constantiam et fortitudinem admiremur, et mutato nomine, potius de his causis, "annus inclytissimus" habeatur; vere apud posteros memorandus!

Annus ob virtutem plusquam Romanam et militum, et civium nostrorum ex omni ordine, Medicorum, (quorum nonnullis insignia Victoriæ meritissima nuper collata fuisse gaudemus) juvenum, fæminarum, celeberrimus! In quo non solum contra hostium innumerorum tela, dolosque; verum etiam contra febrium lethalium cohortes, diram scilicet dysenteriam, variolas horridas, pestemque Asiaticam, per menses plurimos ab obsessis et undique dimicatum est!

Annales hujusmodi, hactenus inauditi, dehinc absint, et in æternum, precor!

In hisce saltem ædibus, a rixis armorumque strepitu feliciter remotis, tam atrocia, (carnificum potius, vel cacodæmonum facinora, quam bellatorum opera) turpia sunt memoratu! Sed, pace vestra, Præses spectatissime, Sociique patriæ amantes, "quicquid humani est," id sane Medici est! Quicquid inhumani, et immanis, id philosophi est saltem haud ignorare! Neque ab his aversati, tanquam "aliena," putemus! Miseris enim, ad nos, inter primos, se recipientibus, succurrere nostrum est, etsi non absit doloris causa. Quæ nova inhonestaque vulnera aspeximus! Quæ mentium concussarum alienationes, ex his causis et furoribus, inde secutæ sunt! Nonne a vobis auxilium remediaque et animi et corporis quærunt afflicti? Et vos quidem in utrumque paratos, tales esse inventuros, pro certo scio! Monent me vero hora et consuetudo, ut ad fastos, et annales proprie dictos, nos convertamus; annoque nuper elapso, quæ beneficia, quæve incommoda, accepit communitas nostra, ut memoremus.

Hæc, eheu, primo adspectu, illis plura visa sunt! nonnullos

etenim ex ordinibus nostris consocios, hoc anno morte ereptos, varias ob causas in memoria retinendos colendosque, tristitia affecti deflemus!

Quo tempore vero, O Socii, eosdem desideratos ploramus, tamen virtutibus æmulemur, et de consociatione amantissima nobis invicem rite gratulantes, semper nos ipsos etiam concordēs præbeamus!

Inter eos, qui non citius ex memoria, aut pectoribus vestris, excident; qui amicorum studia beneficiis officiisque frequentibus, simulque ob facilitatem, et naturæ suæ jucunditatem, sibi conciliavit, eheu! Clarkium maxime desideratum memorare velim.

Plurimis vestrum, Auditores, cognitus, neminique idem non dilectissimus, a quo non defletur?

O Carolum Clarkium! Carum clarumque caput! Nobis præsertim, "quos plurimos secum conjunctos habebat, ex causa cognationis, aut propinquitatis, aut sodalitatis, aut alicujus necessitudinis, carum et jucundum esse maxime studebat." Filius fraterque, patruus, socer et pater Medicorum! Ex stirpe scilicet, et sanguine, et animo, plenus totusque Medicus, quam alacriter consilium, aut auxilium quodvis, Medicis præcipue, vel valentibus vel laborantibus, ferre solebat, egomet ipse, et plerique nostrum, auditores, testari cupimus!

Me quidem jam a puero, ex ædibus et Collegio S. Petri, haud procul distantibus, quadraginta fere abhinc annis, domo sua, vultu hilari, lepidoque sermone excipere voluit, et "quam familiariter!"

Anatomiae studiosus, matureque peritus, prælector aptus et ingenuus auditores frequentes sibi attraxit. Nec unquam profiteri pudebat, quantum ipse ex mutua discipulorum medicorumque faventium benevolentia, rebus secundis utebatur.

Hospitium amplum gratumque, præsertim artem nostram



exercentibus, nunquam non præbuit. Miro etiam modo, fronte hilari, agilique suo ipsius ingressu, animos ægrotantium labefactos refecit idem et recreavit.

Et hoc quidem, si commune sit Medicorum, non idcirco, me iudice, parvi habendum est. In ægrotis enim sublevandis, cum de vita vel salute hominum agitur, nihil parvi, nihil leve æstimandum. Enimvero non cubantibus solis fert opem nuda et recondita illa nostra scientia. Et quamvis “de minimis” quidem, ut aiunt, “non curat lex;” de minutis aliquando, et summo jure, curat Medicina. Quod si apud vos hæc non magni æstimentur, multo tamen honore diligentiam, sollicitudinem, munificentiam quibus societati illi quæ Medicorum viduas pupillosque adjuvat, assidue inserviebat, vel merito prosequemini. Maxima cura, immo etiam amore, hanc vivus fovebat, nummos huic plurimos moriens legavit.

Denique, non tam senectute quam doloribus per duos annos ingravescentibus confecto eidem finis vitæ adfuit. Quod quidem mihimet ipsi plurimisque, scio, gravissimi doloris causæ est.

De hoc nostro, oratoris illa adferre liceat; “Ex Te profecto, “Vir egregie, duplex nos afficit sollicitudo, quod et ipse “republica nostra careas, et illa Te!”

Quorsum vero tristitia tanquam privata, et dierum grata memoria præteritorum me rapit? Dum hæc cogito, resque nuper peractas breviter attingo, præsens abit dies!

Restant antem aliæ illustresque animæ, de quibus pauca, verbis quamvis imparibus, expedire liceat.

Accedit proxima, et, quasi ex circumvolitantium turba, me vocat monetque illa, ne vitam operosam, opera ipsa, famamque, silentio prætermittam!

Veruntamen me hæc omisurum ne sit timor! Bene etenim novistis et meministis, O Socii, quam fuit omni genere

studiosus; nervorum sanguinisque et fere artis Medicæ arcana omnia investigando, et perscrutando, quam fuit acer! In scribendo, resque novas scientiæ a se ipso, vel undecumque indagatas promulgando, quam fuit impiger et impavidus Marshall Hall!

Otiosus sane nunquam, sed contra fervidus, et mordacitate quadam animi imbutus, rebus Medicis, et scientiæ, totum se tradere solitus est. Et usque ad extremum diem, doctrinis variis promovendis, ad antiquiora, et, iudice se ipso, obsoleta et rejicienda, summis viribus et ex animo, in res Medicas scientiæ—amque amplificandam assidue incubuit!

Nec jam de alio insigni tacere licet:—

Ipsa ineunte anno, quo quidem tempore amicis sociisque omnia fausta precari assueti sumus, unum, ætate quidem et honore proVectiorem, septimum et octogesimum annum agentem, quem post Præsidentem honoratum, primum inter ordines nostros nuper designaverunt indices, Fellowship venerabilem eripuit fatum, eheu! inevitabile.

Milesque et Medicus insignis, præliis compluribus obsidionibusque, dum florebat ætas, animo alacri gnavoque, interfuit

Contra pestem perniciosam, nosocomiiis militaribus præpositus, quam feliciter idem contendebat!

Hæc Calpe, rupes illa præsidiumque celeberrimum, hæc Barossa, hæc Gades; (tota scilicet “Peninsula Hispanica!”) hæc itidem Batavi, Belgæ, Galli, Germani testati sunt!

Denique captivus apud Parisios factus, quo ipso tempore ii pro libertate domibusque strenue certabant, in vincula conjectus est.

Haud immerito igitur ad honorem, Eques a rege creatus, insignia et monumenta decora sibi assumpsit, gratesque huic



nostro condignas ii, qui ærario præfecti erant, publicas egerunt! Postremo a reipublicæ muneribus haudquaquam aversus, magistratum et gravissimum utilissimumque, neque rei militaris oblitus, usque ad vitæ finem honestæ gerebat!

Dum veterani talis de patria et Collegio hoc nostro optime merentis, virtutes laudesque ita raptim memoramus, cogitationes quantæ mentes cordaque vestra movent?

Nonnihil vero temporis ad has elaborandas dicenti necessarium foret, quod jam minime a vobis petere velim.

Alterum etiam consocium, octogenarium, itidemque comilitonem, equitemque insignem, et præcipue Medicum sagacem, prudentem, benevolum, fato deprensus lugere inviti coacti sumus!

Quis, amisso McGrigorio, non contristatur? Qui plures regiones et loca, pluresque morbos hominum vidit et urbes!

Chirurgus Medicusque adhuc juvenis, legiones, sub Duce regio, peregrinantes comitatus est.

Pariter cum Socio proxime memorato, hos potius lenimina, quam "duo fulmina belli," contemplari juvat!

Quum domum rediisset, McGrigorius statim in insulas Occidentales funestasque, cum copiis profectus, ibique per aliquot annos moratus, ineunte sæculo, rebus totius exercitus Medicis præfectus fuit.

Hinc ad Indos Orientales progressus, et inde, semperque cum exercitu, bis passus naufragium, domum regressus, de expeditione militari illa celebri, trans Ægyptum ex Indis profecta, et de peste, Medica quædam, eademque pretiosa, edidit.

Nullum sibi otium est relictum, aut optata quies. Mox iterum in rebus Medicis præfuit exercitui, qui paludes febresque istas "Walcherenses" gravissimas tentavit; et merito summis

laudibus ob diligentiam in commentariis a duce insigni (Sir Eyre Coote) affectus est!

Exinde, noscocomia militaria inspiciendi ad munus designatus est. Recordari nobis hic liceat, quod non solum in domibus quietis, bene ordinatis omnique supellectile instructis, passim vero et undique memorabilia Medica legenda sint. "Nullibi potentior aut benignior ars nostra monstratur quam in castris et classibus."

Novimus enim milites nostros fortissimos, ærumnarumque patientissimos, non tam frequentes hostium gladiis, præliisque commissis, quam febribus, phthisi, morbisque variis perire; et præcipue ob aera vitiatum fætioresque pestiferos, qui ex casis militum parum commodis oriri solent. Quæ mortis causæ plurimæ, opera curaque adhibita, sane cavendæ atque etiam vitandæ sunt! Hæ vero culpæ, etiam hodie existentes, civitati et patriæ, militibusque, immo etiam præfectis ipsis, damno sunt et opprobrio.

Ac Medicis quidem sæpissime has miseras incusantibus summa debetur laus! Pro gratiis autem jure debitis, odium inde iniquum, proh pudor, sibi iidem intulerunt! Quas ob causas licet afflicti simus, ne idcirco spe animisque tristiores videamur. Prævalet enim magna veritas unquam, nec male affirmavit vetus ille poeta et philosophus, nostrummet ipsorum æque ac majorum consensu,

"Ἰητρος ἄνηρ πολλῶν ἀντάξιός ἄλλων"—

Nec vero huic sententiæ defuit McGrigorius noster.

Illi, jam matura ætate, pacis studia petenti, militia tamen nondum emerito, pauci prius elapsi sunt anni, quam iterum, Duce Wellingtono, mitteretur idem, qui res summas in castris ageret Medicas. Ducis illius prænobilis et faventis simulque Medici nostri, fama in Hispania crevit! Eo tempore, obiter



meminisse juvat, liberalitate et justitia antehac inaudita, Ducem illum præclarum, et propositi tenacem, veteri abjecta invidia, tum primum Medicorum, æque ac cæterorum militum, labores laudesque in literis publicis commemorasse!

Utriusque honos honorem, gratia gratiam, peperit! Et tale probitatis exemplum curia nostra imitari nihil recusavit.

Militia dura jam per annos plusquam viginti facta, domi quum a rege suo, aliisque regibus, tum a Medicis plurimis conjunctissimis, honoris monimenta summa dignissimo eidem collata sunt.

Nec ideo patriæ, nec Medicinæ, inservire noster ille desinebat. Quanta fuerit abhinc in fastis, morborumque historiis accurate colligendis; in thesauro Pathologico, plurimis gravissimisque exemplis amplissime ornando cura, quanta etiam diligentia, inter omnes constat!

A Duce summo, laudatissimo illo viro, commentariis laudatum exaudite! Quamvis verba adeo apta et concinna aliena lingua reddere me prorsus pœnitet.

“Satis superque animum meum explevit dominus McGrigorius. “Officiis sibi commissis diligentissime functus est; ipsumque, “inter maxime sedulos et felicissime pollentes qui, me duce, “reipublicæ munera executi sunt, existimo!”

Inter cumulatissima “testimonia” hodierna, quis inania hæc, vel sine causa, vel supervacanea reputet? Vim verbis afferre quomodo potuerim? Qualis etiam quantique viri sunt eadem, vobiscum considerate!

Dum hæc recordamur, et luctus ob Socium, eheu! amissum, sublevatur, et ad virtutes imitandas quam maxime nos ipsi provocamur!

Quo magis autem, O socii, valent probitas virtusque Medicorum; quo impensius rerum Medicarum varietas et magnitudo

summa nos delectatione afficit; quo sublimius et admirabilius rerum naturæ in disciplinis severioribus studium est et indagatio: eo magis nos pudet, pigetque, corruptiones horum optimorum pessimas, quocumque modo, fieri! Attamen revera ita se habet res. De hujusce ævi "instructione," ut vocant, et "illuminatione" sæpius gloriari solemus; simul vero, eheu, vultum impudentissimum erigit ignorantia impudentissima!

Qui vero hoc fit? Nimirum homo animal empiricorum, et circulatorum, amans est!

Species hæc saltem frequentissima, et præcipue inter nobiles quosdam, divites, otiosos, mulieres petulantes et aniculas, (utriusque sexus) reperitur!

Dummodo satis absurdum et plane fraudulentum sit dogma quodecunque, in aures et rictus talium clientium facillime demittitur!

Quales clientes et patroni, tales "Medicastro!" Doctorum et prudentium reprehensio quid istis?

Facete inepti rident! Præ incitiam, cognomine pæne ineffabili, alio quolibet præposito, quidam se "Homæo"—"Hydro"—"Kinesi"—"Pathicos" profitentur!

Proh dedecus, et opprobrium!

Domus exstruitur sumptuosa; typis publicis picturisque illustratur; epulæ parantur; Numen Sanctum, proh nefas, invocatur! sibi invicem gratulantur, seque mutuo collaudant convivæ! Dum, ciconiam agentes a tergo, nimirum, risui se dant "Professores!"

Vix credibile est; si hodie quidvis incredibile! Tali concursui, nuper præfuisse Ducem prænobilem, (in hac re saltem, patri quam dissimilem, cui in odio summo empirici, insulsive, omnigeni fuerunt!)

Nec solus ille adfuit; Comitum, Baronum, Sacerdotum,



Senatorum comitanti catervæ centurio quidam de rebus Medicis infinitis, et “infinitesimis,” audacter concionatus est! Quales laudationes!

Hi omnes, tanquam “sutores ultra crepidas,” vel prorsus nihilo, vel venenis letiferis, salutemque, atque etiam vitam ipsam hominum blande aggrediuntur!

Ad has ineptias arrogantiamque coercendam leges sane nullas invocare velim!

At, contra ignorantiam istam undique, et summis viribus, sine dubio pugnandum est! Pro legibus sint mores! Populi que liberalis, et ex omni parte fiat institutio!

Absit timor vetus, vanusque ille vulgi irrisus! “Vulgus” enim, veritatis amans, laboribusque honestis deditum, “decipi” nonvult nec patitur.

Contra autem a maxime vulgaribus decipi vult turba otiosa, divitiisque abundans!

“Stat pro ratione voluntas!” Quorsum vero nobis hæc omnia? Si vafri circulatoribus et esurientibus pœnas novas imponi nolumus, saltem ut lex illa iniqua abrogetur, rite curia invocanda est; scilicet illa (ex his rostris jamdiu incusata) quæ Regii nominis et auctoritatis venditionem et sinit, et promovet!

De his contumeliis, et opprobriis clamo—clamito etiam! Non autem propter damnum aliquod nobis inde illatum, lucrive causa subducti, sed quia vectigal hinc ortum, bonis moribus et veritati maxime oppugnat!

Pro vera Medicina patent Mendacia! Pro salute venena aut occultæ quædam insidiæ! Simulque, et Populo, Societati que nostræ, et Reginæ Honoratissimæ privilegia horum circumforaneorum ludibrio sunt et injuriæ.

Dum vero talibus hæc mala, has contumelias increpamus, num omni culpa et reprehensione carent ii, qui in ordines

Medicos et chirurgicos “rite, et ad normam” recepti sunt? Annon inter hos etiam artis et sollertiæ suæ, et suimet laudatio minime excusanda? Simulque, vel oculis, vel gestu, vel silentio quodam haud incerto, fratrum Medicorum fieri solet obtrectatio?

Nullane medicamentorum usque ad nauseam repetitorum, exaggeratio fit?

Vel id, quod longe gravius habendum est, an nullæ per “specula” inspectiones minima necessariæ; immo etiam luci causa, quo nihil turpius aut detestabilius esse potest, vel Medicis vel chirurgicis quibusdam, uterinæ ulcerationes factitiæ et factitatæ?

Horum nos, O Socii, vere pudeat, pigeatque! Hæc sunt, et hujusmodi, mihi credite, quæ nobis, artique nostræ, perquam divinæ, potissimum obstant!

Nimirum de talibus nos ipsi in discrimine versamur! “His “de rebus tam atrocibus, neque satis me commode dicere, neque “satis graviter conqueri, neque satis libere vociferari posse intelligo!”

Has vero misérias, quod ad nos attinet, qua ratione effugere, unde opem auxiliumque nobis sperare licet?

Iterum ab *Harveio* virisque *Harveianis*, levamen solatiumque quæramus; dignitatemque, quasi labentem, ut recuperemus, enitiamur.

Horum effigies, vel animis, vel etiam oculis contemplando, reficiamur, et erigamur!

His vero præcipue accedat, quod Collegio et Communitati toti Medicæ, inter nos invicem gratulari atque etiam exultare liceat, scilicet de die illo festo alboque lapillo notando, quo nuper, Præsidente inducente nostro, et Nobilium et Medicorum undique circumfuso conventu, in ædes nostras, atque in hanc



ipsam Aulam Regalem, ingressus est Reginae Victoriae dilectissimae Consors, idemque, Regum nostrorum futurorum Pater, Princeps Illustrissimus! Scientiae omnigenae, et Probitatis, praesens Fautor, et Patronus Benevolus!

Tibi, Alberte, et fores nostrae, et corda gratissima semper patent! Nec immerito in fastis nostris inscriptum est, Te eodem die hic adfuisse, memoriae honestandae causa viri si quis alius, inter nobilissimos dignissimosque habendi. En! vobis concordibus, Socii, huic loco vicinior, immo proxima, Jenneri venerabilis assidet effigies! Tibi olim, vir gravissime, patiens, integer et modeste, Patria, pro hac vice saltem haud ingrata, gratesque et honores promeritos persolvit! Olim, tuo rogatu, et tibi potissimum morem gerens, Imperator ille minax et bellipotens captivos Britannos plerosque liberavit!

Tibi grati Reges plurima insignia contulerunt! Nuperrime, civitatibus exteris, Medicis plurimis, Sculptore etiam liberalissimo, consociatis, Te tandem in sede publica et eximia, quasi spirantem, meditantem, et beneficia nova excogitantem laeti et plaudentes aspiciamus!

Variolarum deformium et funestissimarum Debellatori, Tibi Bellatores Britannici lectissimi adstant!

Te intuentes iidem protegant! Vel, quod optabilius est, Tuae “cedant arma Togae.”—Laudes tuas dignissimas, tam recenter, apteque memoratas, hodie iterare, mihi vetitum quodammodo videtur!

Jure quidem, Praeses noster Te Jennerum, heroe alterum, cum *Harveio* heroe consociavit!

Viri “*Harveiani*” utrique—“*Jenneriani*” ambo!

“Unus est honos utrique tribuendus!”

Millibus innumeris salutem, pulchritudinem, vitam, favente Numine, ambo conservavistis, “Opiferique per orbem dicemini!”

Exemplaria Spectatissima, etiam nunc admirari placet!

At coram vobis, diutius concionari nolo, magnis his ausis  
impar, cujus quidem mihi met ipse conscius sum!

Pace igitur vestra, Auditores, finem dicendi facere liceat!  
“Fausta vobis omnia precor!”

Valete!



